68

gratiam sacre communionis accipiant. aut ep(iscop)o eis
aut p(res)b(ite)ro porrigente. sed nec sedere in medio p(res)b(ite)roru(m)
diaconis liceat. quia si hoc fiat praeter regulam &
ordinem probatur existere. Siquis aute(m) &iam post
has definitiones oboedire noluerit. a ministerio cessare
XVIIII debebit. DE HIS QUI A PAULO SAMOSATENO AD ECCLESIAM UENIUNT.

De paulianistis ad ecclesiam
catholicam confugientibus definitio prolata est ut
baptizentur omnimodis. Siqui aute(m) de his p(rae)terito
tempore in clero fuerint. siquidem inmaculati &
inreprehensibiles apparuerint baptizati ordinentur
ab episcopo ecclesiae catholicae quod si discussio in-
congruos eos inuenerit abiectales conuenit. Simi-
liter aute(m) & de diaconissis & omnino de his qui sub
regula uersantur haec forma seruabitur. memini-
mus autem de diaconissis quae in eodem habitu esse
probantur. quod non habeant manus inpositione(m)
& ideo modis omnibus eas inter laicis deputari.

XX Q(uonia)m sunt quidam DE FLECTENDO GENUA
in die dominico genu flectentes. & in diebus pen-
te costes. ut omnia in uniuersis locis consonanter
obseruentur. placuit s(an)c(t)o concilio stantes d(omi)no uota
persoluere. EXPLIC(IUNT) CAN(ONES).

Et scripserunt CCCXVIIII qui in eodem concilio con-
uenerunt. Orthus ep(iscopu)s ciuitatis cordubensis prouinciae
spaniae dixit. ita credo sicut superius scriptum est. hd

I INCIPIUNT CANON(ES) AP(OSTO)LOR(UM) DE ORDINATIONE EP(ISCOP)OR(UM)

Episcopus a duobus aut tribus episcopis ordinetur.

ht INCIP(IUNT) ECCLESIASTICAE REGULAE S(AN)C(T)OR(UM) AP(OSTO)LOR(UM) PROLATAE P(ER) CLEMENTEM ECCLESIAE ROMANAE
pontificem quae ex grecis exemplaribus in ordine primo ponunt(ur). quib(us) qua(m)plurime
quidem n(on) c(on)sensu(m) n(on) p(rae)buere facile & tam(en) p(ost)ea quaedam constituta pontificu(m) ex ipsis canonib(us)
ad sumpta e(ss)e uidentur

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
UNESCO Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_485/0141